

amplius. Nec vero hoc loco exspectandum est, dum de remo inflexo, aut de collo columbae respondeam. Non enim si sum, qui, quidquid videtur, tale dicam esse, quale videatur. Meo iudicio ita est maxima in sensibus veritas, si et sani sunt ac valentes, et omnia removentur, quae obstant et impediunt. Itaque et lumen mutari saepe volumus, et situs earum rerum, quas intuemur, et intervalla aut contrahimus, aut diducimus: multaque facimus usque eo, dum adspectus ipse fidem faciat sui iudicii. Quod idem fit in vocibus, in odore, in sapore: ut nemo sit nostrum, qui non in sensibus sui cujusque generis iudicium requirat acrius. Adhibita vero exercitatione et arte, ut oculi pictura teneantur, et aures cantibus, quis est, quin cernat, quanta vis sit in sensibus? Quam multa vident pictores in umbris, et in eminentia, quae nos non videmus? Quam multa, quae nos fugiunt in cantu, exaudiunt in eo genere exercitati? qui, primo inflatu tibicinis Antiopam esse ajunt, aut Andromacham, quum id nos ne suspicemur quidem. Nihil necesse est de gustatu et odoratu loqui: in quibus intelligentia, etsi vitiosa, est quaedam tamen. Quid de tactu? et eo quidem, quem philosophi interiorum vocant, aut doloris aut voluptatis, (in quo Cyrenaici solo putant veri esse iudicium, quia sentiatur). Potestne igitur quisquam dicere, inter eum, qui doleat, et inter eum, qui in voluptate sit, nihil interesse? aut, ita qui sentiat, non apertissime insaniat? Atqui qualia sunt haec, quae sensibus ipsis percipi dicimus, talia sequuntur ea, quae non sensibus ipsis percipi dicuntur, sed quodam modo sensibus; ut haec: illud est album, hoc dulce; canorum illud, hoc bene olens, hoc asperum. Animo jam haec tenemus comprehensa, non sensibus. Ille deinceps equus est, ille canis. Cetera series deinde sequitur, majora nectens, ut haec, quae quasi expletam rerum comprehensionem amplectuntur: si homo est, animal est mortale, rationis particeps. Quo e genere nobis notitiae rerum imprimuntur: sine quibus nec